quam lux à lucido corpore, quàm intellectus ab anima, quàm existentia à subsistentia.

Ex physica. Si naturalis philosophia rerum corporearum causas, & effectus scrutatur, nunquid ipse Deus est causa causarum: si corpus spectet, vt mobile, Deus immobilis est, & omnia mouet immotus, nec vllus motus esse potest, nisi quid immobile supponatur, sicut nec tenebræ propriè dictæ, nisi præcesserit lumẽ, igitur physica Deum esse probat, quàm si voces Alchimiam, magnum illum chymicum ostendet, qui lapides, qui metalla, qui meteora soluit dissoluit, firmat, perficit: *Qui dat niuem sicut lanã, nebulã sicut cinerẽ spargit. Mittit chrystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Psal. 147. Quis sicut Deus? qui spagyriam, & pyrotechniam ita nouit, vt non tantùm paralyticos, hydropicos, arthriticos, & elephanticos à dogmaticis relictos curet, sed & mortuos ad vitam reuocet? quis sicut Deus? qui chymicorum errores aspicit, & irridet, dum assiduè metalla comburunt, calcinant, cæmentant, dissoluunt, putrefaciunt, maturant, digerunt, fixant, sublimant, fulminant, circulant, filtrant, graduant, rectificant, reuerberant, proiiciunt, coagulant & mille modis versant, atque diffortmant? Quis sicut Deus? qui omnia vitra, sales, cineres, liquores, & quintas essentias perfectè nouit, quæ ex lapidibus, metallis, & plantis extrahi possunt? qui solus lapidem philosophicum, & puluerem proiectitium metallis, vel aliis mixtis indidit, si vera, non autem fabulosa sint, quæ de his enarrantur.

Ex alchymia.

Psal. 147.

Chymicorũ otiosæ, & vanæ operationes.

Quàm sapienter magia naturalis ad Deum omnium miraculorum effectorem recurrit, dum antipathiæ, vel sympathiæ rerum nullam rationem inuenire potest, Deus enim doctissimorum fidelium asylum est, vbi humana ratio deficit, sicut antipathia, & consensus rerum, Atheorum, qui ad fictitia sese malunt recipere, quàm nobiscum fateri Deum esse, angelos esse, dæmones esse, & vera miracula fieri. Iam verò ad asylum nostrum per alias scientias licet inferiores, tanquam per scalas ascendamus, quarum vnaquæque scientiæ particula gradus esse potest. Quod in sequenti probatione faciemus, ne ratio hæc longior esse videatur. Itaque scientias, & artes, quæ prædictas consequuntur, afferamus, vt omnes Deo nostro luculentissimum reddant testimonium, & impios manifestè conuincant.

Ex magia naturali.

RATIO XXII.

Deum esse probatur ex alijs scientiis inferioribus aduersus Atheos.

Veterinaria

MEdicina contemplatur corpus, vt est sanitati & ægritudini obnoxium, ideóque magnus descendit medicus, quia magnus iacebat ægrotus; nec arbitreris solos homines à Deo curari; enimuero nulla veterinaria tantopere curat de causis, & effectibus morborum, & sanitatis plantarum, arborum, iumẽtorum cœterorúmque animalium, ac ipse Deus, de quo psaltes: *Homines, & iumenta saluabis Domine* Psal. 35. & 105. *producens fœnum iumentis*, 140. *qui dat escam iumẽtis*, quod non minus verum est de coruis, & reliquis animalibus, vel etiam de plantis, & arboribus, quibus, suo quóque tempore Deus pluuias, rores, niues, ventos immittit, vt foueantur, alantur, curentur, atque purgentur.

Psal. 35. 105. & 140.

Quid ergo de hominis valetudine dicemus non tantùm spirituali, verùm etiam corporea, si Deus plantas, & animalia tam sollicitè curet? cùm hominem super opera manuum suarũ constituerit: omnia Deus meus, *omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi,* Psalm. 8.

Psal. 8.

Deum esse probatur ex medicina.

Contemplare igitur magnum illum medicum statim Hippocratica, seu Galenica medicina vtentem, dum per contraria curat; statim Paracelsica, dum per similia; statim spagyrica, dum humores dissoluit, aut dissipatos colligit: nolim ire per omnes medicinæ partes, cùm eas retulerim ad caput 2. Gen. ver. 20.

Ex mathematicis.

Idcirco ad mathematicas tam puras, quàm impuras, seu mixtas descendo, si princeps illarum Arithmetica quantitatem discretam, seu numerum absolutè considerat, Deus est vnitas absolutissima: si Geometria quantitate continua absoluta delectatur, vt figuris, globis, pyramidibus: ille est sphoera, cuius circunferẽtia nusquam, & centrum vbique; pyramis est, cuius basis infinita, est ipsa diuinitas, conus vero potentia, qua faciendas creaturas respicit, ad hanc enim creaturæ referuntur, atque terminantur, ac per potentiæ fastigium Deus velut extra se exire videtur, dum per creationem sese diffundit exterius.

Deus pyramidi comparatur.

Inter mixtas Musica licet impura Deum purissimum ostendit, dum numerum sonorum contemplatur, siue illa corporis, & animæ concentum, & proportiones aspiciat, & humana sit: nam Deus est animæ lyricen, & omnes illius neruos, & chordas dirigit, estque animæ, quod anima corpori, non informando, sed conseruando, atque fouendo. Si rerum omnium, maximè vero motuum, qui fiunt in cœlis, concentum, atque analogiam considerat, Deus est sphoerarum motor, atque creator. Artificialis etiam Deum agnoscit, cùm enim est Harmonica, & sonorum consonantiam, tonos, tonorumque differentias 12, variasque modulationes contemplatur, ad illam harmoniam supercœlestem, atque diuinam ascendere potest, in qua perpetuum diapason, vel trisdiapason patris, & filij, & spiritussancti, vel potiùs vnisonum, & anisonum, seu æquisonum resonat, dum per illam ineffabilem circuninceſsionem trium beatissimarum hypostaseon tres inter se distincti, sunt vnus Deus, & vnicam habẽt, communem tamen, voluntatis, & intellectus operationem, quæ est purissimus actus, & ipse Deus, quo nihil magis indiuisum: vt neque diesis, neque schisma, neque commata ei comparari debeant.

Ex musica, humana, & cœlesti.

Ex artificiali.

De Trinitate acutissima habes hoc in loco

Quàm mirabile futurum esset comma musicum, quod est excessus, quo maius semitonium minus superat, si cum sua simplicitate consonantias omnes contineret, quemadmodum Deus simplicissimus

Quid sit comma musicum.